

dum secum suis momentis examinat, commilito carissimus gladio transfoditur, fulmenque horribili terrore auditur, quibus commotus studio juridico posthabito ad ipsius Dei & rerum divinarum scientias omnes cogitationes suas, atque omnia studia contulit, ratione & consilio expendens, nullum honestiorem laborem, nullum majus ac pulchrius esse facinus, quam quod in ipso Deo perquirendo ac diligendo collocatur, ac denique vitam amplexus est monasticam; eo ductus consilio, ut sibi atque Sodali necato per religiosam vitam facilius ad eum amoenissimum ac florentissimum triumphantis Ecclesiae hortum, ubi pro Sole DEUS est, pro tempore aeternitas, aditum patefaceret; eam mentem Ecclesiae commodius conduceret; eo impulsu, qui quemque ad omnia conducibilia semper impellit. Posthaec implorationibus ac obtestationibus suis devotissimis convicti Monasteriales, Nostro Biblia Latina mutuò porrexerunt, qui dum eorum lectionibus animū suum excoluit, atque plurima memoriae avidissime mandavit, ipsum Bibliis istis sacris privantes in servitium ad coinquinatas, squalidas, & obscenas contignationes defricandum adduxerunt, ac Monachum mendicitatis consortem ei adjunxerunt, in talia erumpentes verba: Monachus non tam litteris incumbendum, quam cum sacco per civitatem eundum. Has Monachorum vexationes cum intueretur Senatus Erfurdensis Academicus, ejus miserrus intercessionibus ipsi ceu membro Academico & Magistro coronato ita opitulatus est, ut deinceps anno subsequente millesimo, quingentesimo septimo Cœnobiarcha ei sacerdotale crediderit munus, in cujus functione, quoad fieri potuit, ad Monasterialem Bibliothecam sese conferens, occultè totus in Bibliis sacris perlustrandis insudavit, ac scripta Augustini volvit & revolvit. Accessit interea, ut Illustrissimus ac Celsissimus Princeps & Elector Saxoniae FRIDERICUS, Pater Patriae laudatissimus, ac literarum Patronus benignissimus, incitamento Generosissimi Fratris Episcopi Magdeburgensis, Academiam Wittebergensem hodie florentissimam anno Millesimo Quingentesimo secundo, die decimo octavo Octobris antea funda-

funda-